



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. L. Virgo filium osculandum dat Currado, uiro beato; ut & ipse eius laetitiae particeps fieret, quam Simeon olim perceperat, dum illum in templo inter contineret.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

rit? Quis.n.tam stolidus, aut stipes est, qui istud probe non nouerit? Quis tam impudens est, & rationis expers, qui in hac re quaerere nodum, & dubitationē audeat? Quousq. perfidi, hostes Christiani nominis id diffitebimini? Quae iam mens uestra est? qui animus? Quae uos in Hircanis montib. fera nutriit, cū in tam impiae temeritatis flagitio adhuc manere decernitis? Ergo ne impuro, & inquinatissimo ore rabulae ac maledici de Virgine obloqui audetis, quae uerum est diuini spiritus domicilium? quae semper pura fuit, & illibata? Adhuc ne alia rei constantissimae argumenta quaeritis? Non ne fatis cā didissima illa lilia, diuinitus exorta id comprobant? adhuc ne dubitatis; quin rex ille, qui omnia solo nutu creauit, & apud quē nihil est ἀδύνατον, id quoq. facere potuerit. Itaq. uniuersae orbis terrarū gentes sūma animi attentione, & exquisita uocis dulcedine canāt, VIRGO ante partum, uirgo in partu, uirgo post partum.

MIRAC. VIRG. L.

Virgo filium osculandum dat Currado, uiro beato; ut & ipse eius laetitiae particeps fieret, quam Simeon olim perceperat, dum illum in templo inter ulnas contineret.

Vitam puram, & coelo dignam Curradus, uir beatus in coenobio agebat. Quodam die in remotissimam siluam secessit, in quam saepe se conferre cōsueuerat; ut coelestium rerū meditandarum faciliior potestas daretur. Id, cū Petri, sanctissimi uiri animus diuinasset, quid acturus esset, clam

clam coepit obseruare. At Curradus abditissimam partem petens, in qua nec uideri, nec audiri se à mortali quoquam opinabatur; maximo animi ardore, lacrymas profundens, Virginem orabat. Id eam ob rē sedulo, & attentè agebat; ut aliquantulum eius suauitatis, & gaudij Virgo sibi impertiret, quo Simeon perfusus fuit, cum purificationis die Christum osculatus, & amplexus est. Eius preces benignissimè Virgo audiens statim aduenit, tanta luce, ac splendore effulgens, ut nihil unquã in terris lucidius uisum fuerit. Currado igitur formosissimum præ filijs hominum infantem osculandum, & amplectendum dedit; cui lacrimae gaudio cadebāt, dum mortalium liberatorem osculabatur. Petrus, qui haec clanculum è sylua speculabatur, & ipse mirificam iucunditatē exhauriebat. Tandem post Virginis in coelum ascensum, utroq. ad coenobium redeunte, Petrus Currado gratulabatur, qui tam eximia meditationis illo die compos factus fuisset, eundem faustum, & fortunarū diuinarum rerum meditatorem appellans. Sed ipse illud diffitebatur, quod à nemine uisum fuisse existimabat. Verùm Petrus, non ne ego, uidi, inquit, tecum blāda uoce, ac sereno uultu coeli reginam loquentē? quae deinde tuum in sinum paruum natum adtulit, quē tu exosculans totus laetitia seriò triumphabas? Sentiens ergo illud apertum esse, quod ignotum, ac tacitum credebat, qua erat animi submissione, amicū obsecrabat, ut illud taceret. Non aegrè tamen ferebat, quòd ille, quem fratris loco diligebat, ea uidisset; postquam solus aderat. Ibidem beatus iste uir cacodaemonum infinitum numerū, qui contra adolescen-
rulam

tulam crudeliter saeuiebant, fugauit, & expulit. Veritus autem, ne à seruatae puellae matre, & cognatis conueniretur, & ad se multi confluerent; illinc dedita opera abiit. Sed perpendamus, quae so, ac diligenter consideremus admirabilem illam laetitiam, qua sanctus uir fruebatur; cui uirginem, ac filium oculis aspicere, animo intueri, & contemplari cōtigit? ò ter beatum illum, & amplius. Huiusmodi bonis immortalib., ac beneficijs, aequum est credere, cumulatōs saepiùs fuisse antiquos eremitas, qui ab huius mundi illecebris, & fluxis uoluptatib. quib. haud difficulter hominū genus capitur, discesserant. quinimò & his reb. eos nunc perfrui, censendum est, qui omnino huiusce uitae ambitione, & fastu abiecto, ac relegato, integrè, & sincerè Deo inseruiunt. At haec minime multis sunt explorata; cū ij, à quib. praeclara illa cernuntur, adeo animo demisso sint; ut tacito in sinu gaudeant; nec illa cuiquam patefaciant; nec cum mortali homine communicent; ne sanctitatis nomen, aut famam sibi quaerere uideantur.

Libri primi finis.